


~~2~~
An. 2.



9
FRIDERICI HOFFMANNI

SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORVSSIAE
CONSILIARII INTIMI, ACADEMIAE FRI-
DERICIANAE ET ORDINIS MEDICI
SENIORIS,

EXERCITATIO MEDICA
DE
B A L S A M O
PERUVIANO,
EIVSQVE
VIRIBVS ET VSV.



HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS HENDELIANIS, 1750. (4)



PRÆFATIO.

Nullum gratius, & quod maiori suavitate
se commendet, nomen occurrit in foro
medico, quam Balsami. Quivis, sive
Chirurgus, sive Medicus sit, ad ejus men-
tionem mox singularem efficacie & vir-
tutis medicamentosæ spem sibi promittit
& concipit; qua de causa evenit, ut in more habeant Medici,
generosa & magnæ virtutis, quæ prepararunt, remedia ad
conciliandam gratiam & famam, Balsami vel balsamici ti-
tulo exornare & commendare. In vulgus enim notum est,
Balsamum vel balsamicum, tale quid audire, quod fragrantia
& suavissimo odore narcs reficit, & insuper omnem labem ac
corruptionem a corpore avertit: nemini enim ignotum, a-
nimantium cadavera, ad putredinem summe proclivia, Bal-
samum diu conservari & a corruptione defendi posse. Neque
de nibilo est tanta Balsamorum aestimatio. Ex omnibus
enim vegetabilibus non datur aliquod præstantius, quam
succus talismodi oleofus, suavissimi ac penetrantis odoris ac
virtutis, qui ex certis arboribus elicetur, unde merito Rex
& Princeps vegetabilium talis balsamica arbor dici mere-
tur. Sicuti vero sanguis inter animantia est nobilissimus
ille liquor, qui vita & omnibus actionibus corporis præest,
a quo totum corpus calorem, robur, inclemmentum & conser-

A 2

vatio-

Præfatio.

vationem sortitur; ita succus qui inter cortices fertur, vegetabilium sanguis est, & ipsorum pretiosissima pars, a quo vegetatio ipsorumque omnis, medicamentosa virtus duci ac estimari debet. Ex eo jam facile apparet, quod succus vegetabilium, quo puriori & suaviori resina & oleo pollet, eo majores obtineat laudes maioremque custodiat efficacism. In tota enim rerum natura nullum principium majori donatum est agendi potentia nullumque eximiores virtutes atque effectus prodit, quam quod inflammabilis est indolis & sulphur seu resina & oleum audit, hoc mixtis non modo calorem, odorem, sed & vires ac spirituascentiam elargitur, & præcipuarum operationum fons ac fundamentum est. Non immerito itaque peritiores Medicorum a multis retro temporibus ipsa Balsamica, quæ suavi, nature amica liquida resina constant, ad saevissimorum morborum ferociam edemandam nullo non tempore maximi fecerunt. Inter ea jure meritoque palmarum obtinuit & adbuc obtinet, Balsamum sic dictum Peruvianum, omni tempore a Medicis & Chirurgis celebratissimum. Et quum cogitatio animum subiret, de nobilissimo hoc simplici inter tantam farraginem nihil buc usque prodidisse, quod ex instituto ejus originem naturalam & vires pertrahet; non dubitavi haud imatilem laborem fore, de praesenti materiam hanc paulo exquisitus excutere, & loco speciminis inauguralis ventilare. Neque spem abjicio, quemvis cordatum aequo animo laturum esse, quando non cuiusvis curiositat, circa hoc argumentum, quod integrum tractatum exigit respondet. Interea Deum T. Opt. Max. supplex veneror, ut conatibus nostris exalto benedicere, eosque in proximi salutem dirigere quam clementissime velit.

CAP.





C A P U T I.

Originem Orientalis Balsami inquirit.

§. I.



Ntequam ad scopum ipsum accedamus & Balsami Peruviani naturam & vires decenti scrutinio Medico persequamur, e re fore nostra judico, de origine hujus nominis ejusque varia acceptione quædam præmonere. Plures sunt qui Hebraicam ejus originem esse asserunt, dum Balsamum a Baal seu Bal, quod Dominum significat, & Samen quod pinguedinem seu oleum norat, derivant, adeo ut Balsamum, pinguedinum seu Oleorum Princeps audiatur. Alii malunt, hanc vocem esse Orientalem, quoniam Balsamin in linguis Orientalibus Princeps aromatum

A 3 signifi-

significatur. Nihil hoc loco addimus, quam ut nomen ipsi rei correspondere afferamus, quoniam rancum excellentissima Olea ac Sulphura Balsami titulo superbiunt. Evidem perperam vulgo, aliis rebus hoc eximum nomen assignarunt, dum apud Pharmacopolas linimentum omne ex variis fragrantibus concinnatum, Balsami nomine ornant. Hinc Balsami Rosarum, apoplecticus Cinamomi, nomina usitata sunt. Deinceps, compositos quosdam spirituosos liquores ex gummatibus resinis & Oleis fragrantibus, cum spiritu vini extractis vel destillatis nomen hoc attribuunt, unde surgunt nomina, Balsami nervini, Balsami viræ. Ipsi quoque Chymici non veriti sunt, hoc nomen suis præparatis affigere, dum vel Salia fusa aut liquata, vel Sulphura Mineralium Oleis destillatis extracta, Balsamorum titulis insigniunt. Nobis Balsamum non est artificiale compositum, sed naturale quoddam simplex, ex vegetabilium familia oriundum, oleosum & inflammabile, consistentiae fluidæ crassulæ, odoris fragrantis & virtutis mirabilis. Tale hoc proprie & *νατ' ἐξοχήν* Balsami appellationem sortiri debet. Et hoc jam commode de Balsamo de Tolu, Capaiba, Styrace liquida, & maxime Peruviano prædicatur.

§. II.

Balsamorum nostra appellatione sumptorum varia genera antiquis fuisse cognita, & ab ipsis propter egregium usum maxime aestimata, is credere debet qui verum monumenta paulo attentiori animo versat atque manu evolvit. Inter alia jam ante Christum natum in orienta-

entalibus regionibus celebratum, & sancte pro usu assertum fuit Balsamum quoddam, quod nostro tempore Balsamum Orientale & verum dicitur. Non levis hinc nata fuit controversia inter genuinos rerum naturalium perscrutatores, quale Balsamam fuit quo Ægyptii, Syri, & Judæi ad balsamanda corpora & ad medicinam usi fuerent, num hoc balsamum adhuc nostris temporibus cognitum sit & usitatum nec ne? Sunt qui existimant post excidium Hierosolymæ in Judæa, Balsamum verum non amplius extitisse, quale quid prodidit Euonymus. At vero præter Plinium & Galenum, qui post excidium hoc scripsérunt ipse Solinus gravissimus Autor, Trajani tempore vivens Cap. 48. *Polybistoris* Balsami existentiam confirmat post Christum natum his verbis: In Judæa tantum Balsamum nascitur, quæ sylva intra terminos XX. jugerum usque ad victoriam nostram claudebatur. At cum Judæa poriti sumus, ira loci illi propagati sunt, ut jam nobis latissimæ colles sudent balsama: similes virtibus stirpes habent, malleolis digerunt, rastris nitescunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus foliis sempiterno adumbrantur. *Cornelius Tacitus L. V.* consimiliter scribit: exsuperant in Judæa fruges nostrum ad morem, præterque eas balsamum & palmæ, balsamum modica arbor. Hanc Balsami autem plantam periisse *Theophrastus & Monardus* scribit, hic inquit: Multis jam annis periit id Balsamum quod in Ægypto nasci solebat, nec usquam gentium amplius inventur. Huic autem contradicit Clus. in Exotic. Lib. X. Cap. 9. de Balsam. pag. 304. scribens: Falleris Monarde, nam Arabia felix, quæ sola Balsami plantas sponte nescentes ab omni ævo protulit

ac etiam nunc profert, legitimum balsamum præbet. Aliud quidem Ægyptus loco quodam Cairo vicinus quem Matharia appellant, nunc etiam Opobalsami frutices alit, sed ex Arabia semper petitur, quemadmodum olim Iudea habuit. Tale quid etiam affirmat Brasavol. in *Exam. simplic.* p. m. 399. Busbeg. de legat. Turc. epist. q. Nicol. Christoph. Razivil. in sua *Hierosol. peregr.* p. 177. Scaliger Exercitat. 157. qui *Cardanum Balsamum* desisse & in parvo esse pretio ajentem, vanitatis arguit.

§. III.

Describitur autem hæc planta quæ Balsamum Orientale, quo usi potissimum sunt in Regum inunctione, fundit, a Bochardo in *Tract. de Terra Sancta* P. II. c. 5. hæc tradens: Inter Heliopolim & Babyloniam medio fere loco est Balsami hortus, in Festo Michaelis lignum satis humile existebat, scilicet palmæ & dimida in altitudine habens folia parvula ut ruta sed parum albiora, & de ligno mecum detuli. Inter notas autem & characteres quibus hoc dignosci possit, celebrantur penes fide dignos Autores primo, ut planta hæc resinifera perpetuo vireat, postea magnitudinem habeat pedis longitudine ex pollicis crassitie, duorumque aut vel trium cubitorum altitudinem, ramos multos & graciles obtineat: Deinde adjiciunt ejusdem esse hanc plantam cum vite naturæ, quam singulis annis amputare necesse sit ne degenerent, cortex viridis est, folia viridia lentiscinorum folior: modo formata, nonnulla minutiora aut rutæ faciem præseferunt, cortex digitis tritus valde odoratus est, saporis pinguis & aromatici instar thuris lignum candi-

cat,

de Balsamo peruviano, ejusque viribus & usu.

cat, odoris saporisque expers, hoc vocari solet Xylo-

balsamum.

§. IV.

Hæc planta nunc potissimum Ægypto apud Cai-
rum colitur, qua de re omnium optime & studiose scri-
psit Prosper Alpinus excellent. ævi sui Botanicus, qui per
novem annos Medicum clarissimum Venetorum Consulis
claruit, ubi Medicorum tam Ægyptiorum, quam Hebræo-
rum auxilio plantam penitus indagare, modumque colli-
gendi Opobalsamum, norasque veri Carlobalsami Xylo-
balsami addiscere potuit, quod in sui de se ipso testatur
de Plant. Ægypti Tractatus Cap. 14. Et multo clarius in
suo de balsamo dialogo, quod cum Appella Arabe &
Abdachim Hebræo-Medicis inexamen vocat, in quo
omnes propositi negotii difficultates tam clare & perspi-
cie solvit, ut veritatis amanti, nullus amplius superesse
possit scrupulus.

§. V.

Deinceps arbor balsami Orientalis flores fert par-
vos & albos in umbellæ formam compositos, quinque fo-
liis obrotundis constantem, flori Acaciæ proximos. Ab
hisce semina promanant flava, folliculis nigris siliquosis
obrotundis, magnitudine unius digiti fasci involuta sub-
rubentibus contenta, valde odorata, intus humorem
flavum melli similem habentia, sapore amaro, parum
que acri, linguamque ferientia, Opobalsamum redolen-
tia, sicut præclare tradit *Wormius in Museo 223.* Quod
ad modum attinet colligendi pretiosissimum illum liquo-

B

rem,

rem, qui Opopalsami nomine venit, notandum est, metibus æstivis desinentibus umbris, luna plena incidentum esse corticem ad medullam usque, ita liquor exfillat, qui in vitrea vascula excipiendus. At vero non possumus hic fidem adhibere ipso Rajo, qui scribit, spatio trium horarum 12. hujus liquoris libras effundi, cum arboris magnitudo exigua contrarium potius suadeat. In eo autem omnes qui balsami hujus naturam & originem investigarunt consentiunt, quod liquor ille qui emanat, primo albo colore tinctus conspiaciatur, & liquidior sit, mox paucis diebus in viridem mutetur olei crassitie, demum post aliquot annos aureus & mellis consistentia fiat, & instar terebinthinae crassescat. Dicunt quoque porro primo tempore turbidum esse crassumque utrū oleum statim ab olivis expressum, postea clarum fieri & tenuem, demum crassescere & sub aqua mergi, cum primum propter levitatem ascendat, & supra totam aquæ superficiem expandatur. Scribunt quoque de eo quod primis diebus acuti & validissimi sit odoris, ut aliquibus inter odorandum sanguinem e naribus eliciat, qui gravis odor cum tempore pereat & gravior & fragrantior sit. Sapor est acris, amaricans & paululum adstringens. Notatu dignum est, quod perficiatur aliqualis coagulatio lactis ab eo infuso. Probe notat celebris Scriptor Gallus du Pomet in *Traité de Drogues* p. 275. quod hoc balsamum sit rarum pretiosissimum & in Matharia magnoque Cairo ubi in hortis crescit, & maxime colitur ac defenditur, rarius obtineri possit, nisi per Legatos Turcicos, quibus ceu munus offertur. Unde porro addit, adulteratum esse, quod vulgo venditur pro vero Balsa.

Balsamo, & nihil aliud esse, quam balsamum Peruvianum cum Storace & Berzoë permixtum. Confirmat hoc assertum *Clusius in Monard. p. 103.* qui ejus unciam modo XX. modo X. ducatis vendi scribit. Quocirca hodiernum quod venditur & inclusum est nucibus Coccis pro Opo-balsamo, artificiale est. Qui plura de hac materia legere vult, evolvat elegantissimum Tractatulum *Dni Volcameri,* de *Examine Opopbalsami inscriptum.*

CAPUT II.

Balsami Peruviani examen scrutatur.

§. I.

Accedimus nunc ad balsami Peruviani originem in-dagandam, quod nostræ potissimum consideratio-nis est. De eo scribit celeberrimus ævi nostri Botanicus *Rajus ex Pýone in Histor. Plantar. pag. 1757.* Quod arbor sit mali Medicæ magnitudine, foliis amygdali maioribus tamen rotundioribus & magis acuminatis, floribus pentrapetalis, in extremis ramorum flagellis luteis, initio loculorum oblongorum forma, sed proce-dente tempore quorundam veluti foliorum cæteris latiorum. Arbor est siliquosa, siliquis brevibus in singulis se-mine contento. In America & quidem Hispania nova & Mexico crescit, unde etiam Americanum, Mexicanum audit. Cortex contusus suavissimos dat globulos aliaque multa.

multa. Lignum eius singularem usum præbet in aedificiis.

§. II.

Cæterum Monardes fidissimus rerum exoticarum Scriptor de arbore hujus balsami scribit: quod continetur in America, vastæ sit magnitudinis, ad radicem usque ramosa, dupli cortice, septa, altero crasso suberinī modo, altero tenui interno, materiam arboris complectente. Ex eo, quod inter utrumque corticem est, spatio, incisione Balsamum educitur. Fructum dicit esse ciceris aut pisi grano non maiorem, in extrema siliqua angusta, digitum longa, alba, tenuitate Regalis simplicis. Depinxit Parkinsonius pro balsami Peruviani arboris fructu, siliquam longam, angustam, que balsamum Peruvianum, aut Benzoinum adeo referebat, ut sibi plane persuaserit, ejusdem arboris fructum esse.

§. III.

Quod attinet ad modum colligendi Balsamum, per agitur hic dupli ratione, nempe vel per incisionem vel per coctionem. Incisio sit cultro quovis annuo tempore, præcipue post imbræ serenitate aëri restitura, luna plena, ut perhibent. Discinditur nempe uterque cortex, ita emanat liquor tenax, subalbidus, limpidus, terebinthinæ consistentiæ, saporis acriusculi, aliquantulum amari, odoris fragrantissimi. Et hoc dicitur Peruvianum balsamum album estque rarius & carius nigro: nigrum autem quod ad nos magna in copia adfertur, de coctione extrahitur, videlicet referente Clusi Commentarij in Monard. p. 302, ramos atque etiam trunco arboris as-
sula-

fulatim & minutim concisos, in leberem amplissimum in-
jiciunt multa insuper affusa aqua, bulliunt omnia & fer-
vent quantum satis esse putant, igne sublato frigescere
sinunt & conchyliis oleum supernatans colligunt. Id
vero est, quod in has regiones invehitur, & quo vulgo
utimur, colore ex nigro rubente, odoris suavissimi. Va-
sculis argenteis, vitreis, stanneis, aut fictilibus vitratis af-
servatur, aliam omnem materiam penetrans. Ex qui-
bus patet, Balsamum Peruvianum esse vel album vel ni-
grum, & binas has species ex una arbore provenire, dif-
ferre tamen parandi modo. Nam album stillat ex ar-
bore ad medullam usque perforata instar olei terebin-
thinæ, & longe præferendum est balsamo nigro, quod
coctione paratur, ubi nonnullæ particulæ volatiles avo-
lant.

§. IV.

Dissent autem hoc nostrum Balsamum tam nigrum
quam album a Balsamo sic dicto *Copaiba*. Duplex hoc
nobis apportatur quale unum liquor est limpidus, stillans
ex arboribus Americanæ *Copaiba* dictæ ad medullam us-
que perforatis, odoris fragrantis & gratissimi saporis a-
criusculi; alterum vero crassioris instar terebinthinæ est
consistentia. Discrimen autem hoc dependet ex diver-
so colligendi tempore. Illud enim cum statim post ar-
boris incisionem primo effluit, est admodum clarum, al-
bum, odoris resinosi. Hoc autem quod sequitur, ma-
gis aurei coloris & consistentia densioris est, quæ consi-
stentia ipsi balsamo nomen conciliavit. Ultimum hoc
balsamum nobis apportatur, magna in copia in lage-
nis

nis ex Portugallia: alterum autem rarius magis rarum est.

§. V.

Tandem discrimen quoque inter nostrum Balsamum & sic dictum Tolutanum. Existimant nonnulli Balsamum de Tolu & Balsamum Peruvianum album esse idem, falluntur autem in eo, differt enim arbor differt etiam natale solum. Arbor pino est similis & folia cerasitae faciem obtinent, semper virent, ramos quaque versum spargunt, teste *Rajo in Hist. Pl. p. 1759.* Locus ubi crescit est Provincia Hispaniae novae, inter *Carthaginem* & *le nom de dieu sita.* Tolu Indis dicta. Incisione etiam exstillat ex arborum corticibus, coloris est aurei, saporis dulcis grati, & non nauseabundi, limoniorum fragrantiam quodammodo referr, si pauxillum in vola manus fuerit fricatum. Rarius est in Gallia, in Anglia autem ordinario reperitur, unde ad nos advehitur, in consistentia secca & tale frustulum Excell. Praeses possidet.

C A P U T III.

*Naturam, Principia & Elementa
Balsami Peruviani inquirit.*

§. I.

QUICUNQUE remedium quoddam prudenter & cum ratione applicare & morbis opponere desiderat, is maxime omnium opus habet, ut prius probe inqui.

de Balsamo peruviano, ejusque viribus & usu. 15

inquirat in ejus principia seu elementa ex quibus compo-
situs est. Sicuti enim actio & operatio medicamenti u-
nice fluit & proficiscitur ex natura, principiorum textu-
ra ac mixtione eorundem, ita præcipius labor medendum
hic esse debet, medicaminum, quibus utitur adversus ex-
pugnandos morbos, naturam, indolem, modumque agen-
di probe cognitum exploratumque habeat. Plura au-
tem sunt, quæ materiam cuiusdam simplicis patefaciunt,
& inter haec non modo sapor & odor, sed præcipue vel
nomina ea, quæ occurrere solent sub mixtionibus hujus
cum variis rebus, omne punctum absolvunt.

§. II.

Primum itaque sapor Balsami Peruviani acris est,
paululum amaricans, irtuote subtili acredine irritativa, pa-
pillas linguae nerveas afficit. Subsimilis sapor in corpo-
ribus resinosis præsertim liquidis obtinet, qualis depre-
henditur in terebinthina, strobilis pini, resin. lign. Qua-
jaci, tam ea quæ coctione aqua, quam spiritu vini rectifi-
catissimo extrahitur, resina Ladani, Storacis, in Storace li-
quida, Essentia Lign. Aloës, deprehenditur. Tenuis est
haec acredo testatur Sal quoddam volatile acidum cum
oleosis particulis intime esse nuprum. Notum enim est,
non tantum ex Analysis Chymico, sed & ex compositio-
ne, resinas ex Oleo fluido æthereo & tali acido tenui es-
se conflatas. Unde oleum quodvis æthereum destilla-
rum permixtum cum spiritu Nitri concentrato abit in
Magma resiniforme, quod subtili acredine ipsam linguam
petit & afficit.

§. III.

§. III.

Odor Balsami Peruviani est suavis & fragrans inditio Sulphuris & Olei volatilis ætherei probe temperati. Recte enim a Chymicis odor petitur a sulphure, & quidem ejus suavitas a mixtura earum partium, quæ sulphur constituant, temperata & proportionata. Fætor a mixtione intemperata, a proportione discedente. Nostandum autem hoc loco est, quod effluvia Balsami Peruviani, quæ admoto fortiori calore cochleari argenteo mittuntur in auras, in nares recepta, in limine arteriæ asperæ tussiusculam ordinario quantam movere soleant, quod etiam aliis resinis, Benzoës resinæ, Storacis, perfamiliare, in manifestum signum, effluvia hæc tenuissima non expertia esse salis acris & stimulantis. Sulphureum autem, aut oleosum principium, palmarium esse balsami nostri ingrediens, vel sola inflammabilitas abunde manifestat. Utpote non modo in liquida forma, si debita ratione candelæ ardenti objiciatur, flammam probe concipit, verum etiam quando ad siccitatem redigitur, quod sit, si tantummodo arenæ candidæ miscetur, hoc ipsum præstat: præter hoc sulphuream materiam clare demonstrat, ejus facilis & promptissima dissolutio & intima unio cum spiritu vini rectificatissimo & oleis cunctis spirituosis & destillatis, amice enim conjungitur cum his ipsis, neque olei, neque alterius unionem respuit. Hoc tamen non prætereundum est cum cera & cum oleis omnibus expressis balsamum Peruvianum five calide, five frigide mixtura fiat nunquam velle coire, unde etiam ii perperam agunt, qui inter olea cocta & expressa, pro medico usu, præsertim externo hoc ipsum miscent. Econtra probe

probe ingreditur balsama illa, quæ ex oleis destillatis composita sunt. At vero adversatio hæc expressorum oleorum & pinguedinum hanc affert utilitatem, ut non adulterari queat his ipsis. Falsum enim est, uti nonnulli autores habent, admixtione olei amygdalarum dulcium infici hoc balsamum. De balsamo Peruviano sic dicto albo, quod in officinis venditur res clara est, hoc nunquam vere purum, sed perpetuo adulteratum hoc oleo est. Nam lubenter, quod notabile est, olea expressa cum hoc balsamo junguntur, neutiquam autem cum nigro, quod, uti nos existimamus, citra adulterationem venditur.

§. IV.

Placet hoc loco mentionem quoque facere nonnullarum mixtionum, quas instituimus cum variis rebus; ita nostrum balsatum aquæ infusum fundum petit, plane autem respuit consertum aquæ, dum nullo modo vehementer etiam agitatione facta, ab ipsa turbatur vel lactescit. Id autem in ipso experimento curiose conspicere licuit, quod extremitas pennæ immissa balsamo Peruvianæ, eoque imbuta quandocunque, vitro aqua repleto inditur balsamum Peruvianum, ægre descendat, sed sub globosa forma, in medio vitri suspensum hæreat, simul ac autem extra aquæ superficiem penna ex aqua educitur, mox decidit de penna & infundum delabitur. Ratio iis qui gravitatis naturam cognitam habent, ex Physicis & Staticis facilis est. Datur tamen medium hoc Balsamum intime miscendi cum aqua simplici pura, & hoc est ipse vitellus ovi. Dici vix potest, quam amice inque momen-

C

to

to ad superficialem tantum mixtionem, vitellus capiat hoc balsamum, intimeque cum ipso uniat. Mixtura postmodum haec aquis indita, per omnia spatia diffunditur & flavescentem turbidum colorem ipsis largitur. Non contemnendus hic in Pharmaceuticis modus est, balsamum Peruvianum potionibus & mixtruris admiscendi. Cum oleo vitrioli rectificato quando miscetur particula balsami Indici, nulla sit effervescentia, sed tantummodo cum levi calore, color imminutatur, & intense ac saturate purpureus ex utroque exsurgit, amboque abeunt in coagulum, quod quando aqua calida affusa sufficienter eluitur, aciditate vitrioli transeunte in aquam relinquitur purissima solida resina in manu tractabilis sine cohæsione, quæ ad flammam perfacile accenditur, & in rectificato vini spiritu solvitur. Docet hoc experimentum, acidum, quod coagulationis causa & autor existit, nostro balsamo sufficiens deesse, unde liquidum permanet, hoc si adjicitur, stabilem acquirit consistentiam. Fecimus quoque simile experimentum cum spiritu nostro flammifero, hic cum certis oleis iisque aromaticis, intensissimam & lucidissimam flammarum vehementer ardenter producit, ad mixtionem autem aliorum oleorum v. gr. carvi, anisi, terebinthæ, majoranæ, lavendulæ, mox intensissimam facit effervescentiam: hic mixtus cum nostro balsamo, non statim effervescebat, sed mora aliqua interjecta & facta agitatione demum ebullitionem prodebat, ob eam procul dubio causam, quod in balsamo quoddam æthereum oleum latitet, sed viscosis terreis partibus valde immersum.

§. V.

§. V.
Tandem etiam quædam adjicienda veniunt, quæ variis factis destillationibus annoravimus. Primo enim hoc balsamum cum aqua mixtum & vesicæ cupræ inditum & destillatum nullum fundebat oleum, aqua tamen de odore quodammodo ejus fraganti participabat; Nihilominus ea aqua, quæ in vesica supernatans deprehendebatur manifesto odore, sapore, colore etiam aliquatenus flavo imbuta erat. Videtur nexus iste partium viscosarum, terrearum, olei tenuioris & ætherei, nec non salis acidi, tam arctus esse, ut vaporibus aqueis disjici nequeat. Non enim mirandum est, in Chymicis dari corpora, quæ sapore acri, nec non salis acris copia imo volatilis scalent, quæ tamen sub destillationibus humidis nihil de hisce suggesterunt. Ita gelatinæ, sanguis animalium, ossa destillata, ex vegetabilibus, Zingiber dant aquam odore saporeque privatam.

§. VI.

Quandocunque autem intimior hic partium nexus ac vinculum dirimitur ac solvit, ecce mox aliis effectus sese pandit. Fecimus itaque experimentum, & lixivium satis forte sumsimus hocque miscuimus cum balsamo Peruviano, mixturam indidimus vasi argenteo, & subdita flamma, hanc in ebullitionem fervidam conjectimus, ita mox conspeximus, dissolutionem balsami usque ad dimidium factam, nam saturate flavo lixivium tingebar colore, & vapor qui in coctione emanabat, odorem penetrantem suavissimum exerebat, adeo ut pateat, hac ratione, aquam ex balsamo Peruviano ex vesica de-

C 2

stillata

stillari posse una cum subili oleo præstantissimo. Est enim ea indoles alcalinorum salium, ut contextum viscosarum, oleosarum & resinofarum partium fortiter aggreditur, dissolvant & oleum acido ac terra ligatum in pristineam volatilitatis libertatem vindicent. Verum enim vero adhuc longe nobilior modus eliciendi ex hoc balsamo spiritum fragrantissimum mirabilis virtutis prostat quem primus descripsit Excell. Dn. PRÆSES in Annotationibus in Poterium p. 440. nempe tres partes balsami Peruviani cum una parte salis tartari exacte triturantur in mortario, affunditur spiritus vini rectificatissimus vel melius spiritus rosarum ad eminentiam quatuor digitorum: extractio fit leni calore, postea destillatio in cucurbita vitrea per alembicum usque ad siccitatem, ita prodit spiritus, longe suavior & fragrantior ipso balsamo, qui in omnibus nervorum & cerebri affectibus a causa frigida & humida ortis, in omnibus partium nervosarum & glandulosarum nimiis relaxationibus, efficaciam vix parem possider. Relinquitur in cucurbita magma ex crassis viscosis terreis partibus constans, quod volatili oleo suavi penitus orbarum est. Notatu hoc loco dignum est, ipsum sal tarrari oleum tenue & suave a tricis & involucris partium viscosarum separare, quod postmodum receptum in spiritu vini calore cum eo sursum rapitur. Eadem encheiresi ex aliis resinis, mastiche nempe succino, Benzoe, Myrrha, Aloës ligno, Excell. Dn. PRÆSES eduxit spiritus admirandæ virtutis & vix adhuc notos in pharmaceuticis.

§. VII.

§. VII.

Destillavimus quoque balsamum nostrum sicca via, miscuimus nempe partem unam hujus cum partibus duabus, arenæ, mixturam immisimus retortæ vitreæ, & facta fuit per arenam destillatio, ita prodiit oleum ex flavo rubrum, quod aquæ supernatabat, odoris non ingratia paululum empyrevmatici, quod in spiritu vini rectificatissimo solutum egregium liquorem nervinum, interne & externe assumendum constituebat. Destillatione ulteriore subsecutum est oleum crassius, fundum in aqua petens. Duplex enim oleum in balsamo Peruviano observatur, unum tenuius & levius, alterum crassius, potest hoc extemporaneo labore ad oculum demonstrari. Nempe sumatur balsami Peruviani particula, & ferventissimæ aquæ injiciatur, ita mox videbis, oleum quoddam instar cuticulæ supernatare, sapore penetranti imbutum, crassiorum autem & majorem portionem in fundum descendere, ex quo patet, non inepte balsamum Peruvianum immisceri posse decoctis, quod adhuc magis ex voto succedit, si particula simul additur salis tartari.

§. VIII.

Ex hisce omnibus dictis & adductis, abunde eluiscere arbitror, balsamum Peruvianum esse succum resinoso-oleosum arboris ex corticibus & foliis, mediante aqua & igne extractum, qui compositus est ex oleo tenuiori & subtiliori viscosis terreis acidis partibus ligato & intricato. Probe hic est notandum, aquam non addendum in finem, ut dissolvat & extraheat balsamicam & oleosam arboris partem, utpote hac nullum habet in id ingressum,

D 3

gressum,

gressum, sed calor tantummodo humidus facit liquationem & fusionem oleosarum & resinosarum partium, quæ in porulis & intersticiis corticis, potissimum arboris subsistunt, liquatæ autem per calorem oleosæ partes, recipiuntur in aquam, quæ si non adesset & sicco tantum calore negotium institueretur, periculum esset empyrevmatis. Nihilominus tamen nostra non est opinio, aquam in extrahendo omni destitui virtute, equidem non adoritur ipsum oleum, in partes tamen acres, salinas, jus quodam habet, unde dum in eas agit, easque in se recipit, una quoque adducit quasdam oleosas. Exemplo res clara est in decocto ligni guajaci. Hoc lignum valde est resinum, & ob copiosam resinam admodum grave. Si ejus raspatura fortiter decoquitur in aqua per aliquot horas, & postea hoc ipsum decoctum inspissatur, relinquatur magma quoddam resiniforme, quod saporis est acrisculi, odoris fragrantis, multum accendentis ad storacis resinam. De hoc sumpta particula, & naribus excepta, sternutationes insignes, citra tamen capitidis imbecillitatem efficit. Hoc tamen dolendum est ex libra una ligni, vix drachmas jj. posse obtineri, cum tamen unciae tres ad minimum ejus resinæ, si extractio fiat cum spiritu vini restificatissimo, haberi possint.

§. IX.

Est nempe balsamum nostrum resina arboris liquida, possident nimirum omnes arbores succum quendam quo nutriuntur, vel gummeæ vel resinosæ naturæ. Gummea substantia gaudent arbores magis in nostris regionibus, in præcalidis autem & orientalibus, ob fortē solis æstum,

æstum, magis resiniformem adeoque calidorem naturam acquirit. Hic succus nutritius fertur per intermedium corticis spatium & per ipsa folia, unde vel incisione facta exsudat, & calore externo humiditate absumpta concrevit in solidorem substantiam, coctione autem cum aqua & extractione vel cum spiritu vini facta, ex poris tam radicis quam ligni extrahitur. Quod si autem uti in aromatibus sit, pars oleosa tenuior prævaleat partibus acidis & gummeis, coctione cum aqua & distillatione facta, purissimum æthereum, oleum quod delicatissima & volatilior istius succi pars est, obtinetur, unde nulla resina, nullum balsamum liquidum ex aromatibus v. gr. caryophyllis, cinamomo, nucista, floribus macis, corticibus citri præparari potest, optime autem oleum. Ex guajaco autem & ligno aloës resina fit, quoniam pars oleosa magis particulis terreis & acidis est imbuta. Dantur autem certa ligna, ex quibus nec oleum destillari, nec resina cum spiritu vini confici potest, elegantissimum autem balsamum liquidum producitur. Et tale est santalum flavum, eujus limatura si affunditur spiritus vini rectificatissimus & inde emergens essentia leni calore abstrahitur, remanet balsamum perfectissimum, consistentia & colore Peruviano simile, odore ambram redolens. Hoc nuper præparavit Excell. Dn. PRÆSES, & ad aliquot uncias servat.

§. X.

Dicimus itaque in nostro balsamo esse temperatam & valde proportionatam mixtionem elementi sulphurei oleosi, tenuis, & olei crassioris & viscosioris, salisque acidi, quo

quo nulla resina, nullum vegetabile solet destitui. Ex substantia hac oleoso-resinosa & viscosa deduci jam merito debet omnis virtus, quae in nostro balsamo latitat, imo non tantum eo principio, vires per experientiam & ex posteriori cognita peti, sed & novae incognitae inveniri & detegi possunt.

CAPUT IV.

*De usu Balsami Peruviani interno
remediis ex ipso paratis internis.*

§. I.

PAUCIS autem hic recensemus, in quibusnam affectibus tam internis quam externis, Chirurgis & Medicis eximiam opem & levamen balsamum Peruvianum praestiterit. Ut autem exordiamur ab usu interno, ante omnia in omni decubitu & defluxione seri & pituitae, glandularum tumoribus, laxiratibus, nervorum tono dejecto, praesentissimam opem tulit, & nominarim in gonorrhcea tam maligna quam benigna, unice hoc Balsamum praemissis purgantibus idoneum est, molestum hunc affectum tollere, sive ejus sola essentia sumatur, sive cum vitello ovi in forma Electuarii redigatur.

§. II.

In fluore albo quoque praemissis purgantibus, per epicrisin agentibus, medicamentis nempe laxativis ex radicibus,

dicibus, herbis, maxime melissa, abrotano, corticibus lignorum confectis, essentia balsami Peruviana cum tintura martis Zwelfferi mixta, in rebelli hoc & molestissimo feminarum affectu, non omissis externis quoque cum eodem balsamo suffumigationibus in uterum receptis, egregium levamen aliquoties attulit. In nimis seri excretionibus & destillationibus lymphae per screatum, pertussim inverteratam per nares, in raucedine, uvulae relaxatione, essentia succini cum essentia balsami Peruviani mixta, & cum tinctura antimonii acri maritara, nimium illum fluxum ex stagnatione seri & glandularum laxitate ortum, roborando & tonum, restituendo egregie cohibet.

§. III.

Præterea balsamum hoc mirifica pollet virtute in læsionibus, corruptionibus & exulcerationibus partium consolidandis, adeoque in ulcere pulmonum, renum exulceratione ejus usus circumspactus mirabilis est. Probe autem hic notandum, balsamum sibi relictum per se esse nimis calidum, unde cum aliis temperatis peropportune miscetur in Balsamum, ex hujus censu est Locarelli qui ex oleo florum hypericonis vino Hispanico, santalo rubro, terebinthina veneta, & balsamo Peruviano, cunctis debita dosi sumptis conficitur. Vidimus hoc ipso balsamo perfecta Phthisi laborantes, & per plures annos graviter affectos feliciter restitutos. Singulis nempe diebus drachma semis cum decocto hordei succo cancrorum fluvialium roborato, astus compescendi gratia, fuit assumpta, exterius ipsi regioni stomachali simul applicata.

D

plica.

plicabatur hoc nostrum balsamum cum oleo nucisæ, menthæ, carvi commixtum. Continuatio autem, quod probe notandum est, per dimidium annum fieri debet servata simul accurata diæta. Potest etiam balsamum pectorale egregium ex eo concinnari, si sumantur balsami sulphuris cum oleo amygdalarum dulcium præparati uncia una balsami Peruviani in vitello ovi soluti, balsami de Copaiba ana drachma duæ, olei anisi drachma semis. In hic balsamus in omnibus affectibus pectoris eriam ipso asthmate, nimiis excretionibus purulentæ & viscoſæ materiae, divinas medentibus porrigit manus. In lœſionibus & exulcerationibus intestinorum post Dysenteriam gravem, idem balsamum Peruvianum vel Locatelli per cylsteres applicatum, vel intus etiam assumptum, ad consolidationem, Practicis celeberrimis passim testantibus laudatissimo pollet effectu. In Asthmate pituitoso elæosacharum balsami Peruviani, vel syrups ex eo factus balsamicus nobis dictus, egregiam præstat efficaciam. Paratur autem hoc elæosacharum sequenti ratione: recipitur nempe sachari canariensis uncia una, miscetur cum drachma semis Balsami Peruviani, syrups autem hic fragrantissimus & gratissimus, in officinis Brunswicensibus a magni nominis Archiatro Conerdingio introductus prostar. Præparatio autem sequentem in modum fit: ad libram nempe aquæ hordei affunditur balsami Peruviani uncia semis, per Balneum Mariae fit destillatio usque dum dimidium prodierit. Humiditas autem in cucurbita relicta & balsamo supernatans, cumque ejus oleo tenui imbura coquitur cum sachari debita quantitate, ad syrapi consistentiam. Sapore hic syrpus

pus gratissimus est, virtute quoque præstantissimus, & certe omnibus quotquot in officinis prostant anterēndus, commodissime enim & magna cum gratia, quibusvis potionibus potest admisceri. Extemporaneum autem parari potest, si sacharo soluto debita quantitas spiritus nostri balsamici, de quo supra facta fuit mentio, adiiciatur.

§. IV.

In affectibus nervorum & capitis v. gr. vertigine paralysi, epilepsia, imbecillitate capitis, post discussam apoplexiā, cephalalgiis gravatibus a causa pituitosa ortis, soporosis affectibus, Balsamum, omniaque ex eo parata, & jam recensita divinam afferunt opem. Nascuntur hi affectus ut plurimum ex nimia laxitate & tono dejecto membranarum, vasculorum & nervorum cerebri, unde circulatio sanguinis debita impeditur, humores pituitosi viscidi accumulantur. Ad tonum itaque debitum restituendum, ad humores stagnantes in motum redigendos, non potest non sale suo tenui acri & sulphure amico, tonico, multum contribuere nostrum medicamentum. Optime autem tali in casu usurpatur sub forma pillularum, quando nempe extractis vegetabilium amaris nec non purgantibus debita in quantitate admiscetur. In omnibus autem affectibus spasmodicis, doloribus arthriticis, reumaticis, hysterics, nec non viscerum contractionibus, quas largæ sanguinis effusiones quandoque subsequi variis in locis solent, in usu quotidiano crebriori habuit Excell. Dn. PRÆSES sequentem spiritum. Nempe combinavit spiritum prædictum balsami

D 2

Peru-

Peruviani cum tinctura antimonii acri & spiritu eboris rectificato anatica portione, prodit hac mixtura spiritus nobilissimarum virium, spiritui Bussiano longe præferendus, qui dictis in affectibus, item præservationis causa ad quosvis cujuscunque generis morbos præsidium est generosissimum, triginta vel quadraginta guttulis sumptis. Tandem adversus scorbutum & luem venereum, & ubi humorum coagulum adest, motusque imminutus existit, vires balsami nostri non contemnenda veniunt. Notum enim est, in hisce refractariis morbis, ea, quæ resina acri stimulante & balsamica, sanguinem & humores fortiter concitante pollent, inter specifica numerari. Extra dubium quoque est sive essentia hujus Balsami decoctis lignorum admisceatur, sive in forma pillularum adhibeatur, exoptatissimam operationem exinde promanare debere. Tandem etiam in ventriculi & intestinorum vitiis, tono eorum ob spasmi frequentiam dejecto adeoque dispositionem ad tormenta colica, ad flatulentiam, vomitum, nauseam, virtus balsami Peruviani est excellentissima. Hunc in finem ingreditur Elixir Balsamicum Excell. *Dn. PRÆSIDIS*, ejusque balsamum viræ, quæ duo remedia intus cum cibis sumpta & continuata, præfatis in affectibus, omniq[ue] defectu virium & spirituum virtutes, vix ab aliis remedii obtinendas, fovent & sustinent.

CAPUT

CAPUT V.

De usu Balsami Peruviani externo & externis remediosis.

§. I.

Lustravimus jam nostri simplicis breviter usum internum & medicamenta huic destinata, præparations nobiliores candide communicavimus, superest jam, ut pauca etiam verba faciamus de usu ejus externo, eoque chirurgico cum satis etiam ille nobilis sit. Nolumus vero esse longiores cum satis abundeque hujus usus Chirurgis perspectus sit. Non enim datur excellentius remedium, in omnibus periculis tendinofarum & nervosarum partium lœsionibus, exulcerationibus & contusionibus, hoc ipso, & vix habet simile in omnibus naturæ regnis, maxime omnium autem in canticis lœsionibus, pericranii, membranarum cerebri, ipsiusque crani vulnibus, & contusionibus, in ipsa quoque trepanationis operatione hoc balsamum solum omnibus palmam præripit.

§. II.

Notum est, in partibus sic dictis frigidis nempe membranosis & tendinosis, quæ a motu sanguinis vitali valde remota sunt, lœsiones summe periculosa enasci quibus convulsiones, spasmis, sphacelationes, inflammations

tiones frequenter conjunguntur. Respuunt hinc omnia pinguia, inviscantia, poros obstruentia, amant autem omnia balsamica quae putredinem avertunt, motumque fluidarum partium internum per earum fibras conservant. Prout autem diversus est lesionis modus diversis quoque rationibus solet misceri & a prudentibus applicari. Ita nonnulli miscent cum melle & spiritu vini, qualis mixtura in duræ matris virtio optima. Alii cum vitello ovi, thure & mastiche, quod egregie facit ad puris generationem. Alii oleum tartari fætidum & balsimum sulphuris terebinthinatum ipsi jungunt, quod arcit putredinem in antiquis sordidis profundis fistulosis exulcerationibus & corruptionibus.

§. III.

Quandocunque cum Essentia balsami nostri miscetur Essentia succini, myrræ, mastiches, flor. Hyperici, vulnerarium præstantissimum Elixir paratur, quod vel solum omnia recentia vulnera sanat, antiqua ad incarnationem & consolidationem perducit, putredinem & carnem luxuriantem abigit, cariem ossibus absunit & recentem carnem progenerat. In gingivis exulceratis, sphacelosis, scorbuticis idem elixir virtutes ostendit egregias.

§. IV.

Tandem in omnibus doloribus, spasmodicis contractionibus, paralyticis nervorum resolutionibus, ubique cunque

de Balsamo Peruviano, ejusque viribus & usu. ar

cunque locorum ipsæ consistunt, nostrum Balsamum solutum in spiritu vini rectificato, additis camphora, oleo nucistæ & croco, instar incantamenti dolores abigit, debitumque robur partibus addit, ipsisque egregium solamen affert. Ingreditur quoque balsamum apoplecticum tam siccum quam liquidum, cuius inunctio in temporibus, vertice, naribus & cervice facta, ab omnibus præternaturalibus sanguinis & seri in capitis & cerebro factis statibus præservat, & gravissimis capitis affectibus nervorumque imbecillitatibus interno usu sic medetur. Ad roborandum imbecillum stomachum, in frigida ejus constitutione, in nausea, vomitu, externe cum oleis stomachicis inunctum, vel emplastris stomachalibus additum, expertissimi est effectus.

§. V.


Tandem quoque elegantissimum præbet suffumigium, quod fit, si vel hoc balsamum Peruvianum solum vasi argenteo inditur & carbonibus imponitur; effluvia in nares recepta, coryzam, ori imissa raucedinem, tollunt, ano applicata alvi fluxum, in uterum autem recepta fluorem album cohibent: postremo adreficiendos spiritus & ad aëris humiditatem & vappescentiam ejus corrigendam non darur excellentior & fragrantior fumus, quam si hoc balsamum cùm resina storacis & gummi benzoës in mortario calido miscerur, addito oleo ligni rhodii & cinamomi, fit hac ratione pretiosissima illa massa, quæ vulgariter dicitur Hispanica. Plura jam restat.

32 *Exercitatio medica, de Balsamo Peruviano, &c.*

restarent enummeranda specialiora, sed indigitasse haec saltim sufficerint quibus sapiens quivis percommode uti poterit. Coronidis loco addimus hanc unicam cautelam, ut abstineamus a balsami hujus usu tunc temporis, quando febribus adfunt commotiones & ventriculus copia bilis repletus est, nec non in statu plethorico, ubi vasa nimium sanguine impuro turgent.

F I N I S.





Ub 1504

1018

ULB Halle
002 102 838

3



St.

NC

FRIDERICI HOFFMANNI

SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORVSSIAE
CONSILIARIII INTIMI, ACADEMIAE FRI-
DERICIANAE ET ORDINIS MEDICI
SENIORIS,

EXERCITATIO MEDICA

DE

BAL SAM O
PERUVIANO,

EIVSQUE
BVS ET VSV.



MAGDEBURGICAE,
HENDELIANIS, 1750. (4)

